

Conspectus compendii theologici [...]

Autor(en): **Meister, J. Heinrich**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **21.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394666>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrücke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Conspectus Compendii Theologici

a JO. HENRICO MEISTERO alias Le Maître dicto,
in Usum auditorum Lingua Gallica
Anno 1736. conscripti.

Auctor, cum instituisset summam Theologiae Christianae Discipulis fidei ipsius creditis talem tradere, quae simul ad firmam principiorum cognitionem animis veri jus-
tique amantibus imprimendam sufficeret, & post-
hac in meditationibus ulterioribus normae, vel
fili alicujus Ariadnaei vicem praestaret, totam hanc
tractationem Quatuor Libris absolvit; quorum
Primus praecipua exhibet Capita Religionis natu-
ralis; Alter historiam, Criteria, & usum rectum
Revelationis; Tertius, mysteria Evangelica; Quar-
tus, praepcepta judicium de Controversiis Theolo-
gicis dirigentia.

Lib. I.

1. Liber Primus continet quatuor segmata. Pri-
mo statim agitur de indole, de dignitate, de uti-
litate & de necessitate Religionis in genere, nec
non de scopo atque modo, quem ad examen san-
ctissimae Disciplinae afferre oportet.

2. Deinde proceditur ad expositionem partis
theoreticae Religionis naturalis; seu eorum quae
solo Lumine Rationis atque sobriae philosophiae
de existentia Dei, de perfectionibus Divinis, de
immagine Dei in anima humana quodammodo con-
spicua, & proinde de habitu vel relatione homi-
nis ad Deum, de immortalitate animae, de Judi-
cio futuro &c. nobis constant.

3. Ter-

3. Tertio expenduntur officia, quæ ex cognitione Dei naturali oriuntur, tam quoad cultum externum & internum supremi Numinis, quam respectu coercendæ atque moderandæ pie & sapienter philantiæ, omniumque affectuum naturalium.

4. Ultimo loco differitur de causis, quare Religio naturalis in sese perfecta, pura, sancta, æterna & immutabilis, nobis in statu præsentē ad certam in Deo fiduciam ponendam & fœdus cum Deo renovandum non amplius sufficiat; Docetur vero etiam quinam adhucdum genuinus & salutaris Religionis naturalis usus sit, ut ad fœderis Gratia, seu Revelationis vestigia legenda præparemur.

Lib. II.

I. Liber secundus De Revelatione Divina in tria tantummodo Capita subdividitur. Horum primum complectitur Revelationis Divinæ Historiam Theologicam, in qua ante omnia fide veterum recentiorumque Historicorum refertur, quam misere a puritate religionis naturalis gentes omnes desciverint, deinde quæ ejus vestigia inter omnes gentes non prorsus humanitatis omnis oblitæ salva supersint, & tandem, quid de variis religionis fatis Traditiones Judæorum, veritatis testium præcæteris insignium & fide dignorum, nos doceant, tum quoad Systema Protoplastorum, quam quoad additamenta post lapsum Patriarchis, communibus generis humani præceptoribus, jam ante Legem scriptam indulta, & tandem de Lege Mosis rituali, cum ideis theologicis reliquarum gentium comparata; atque ad Theologiam Christianam præparatoria.

2. Altero hujus Libri capite notæ characteri-
 ficæ sive Criteria veræ Revelationis Divinæ ad
 examen revocantur & Libris Canonicis Veteris &
 Novi Testamenti adplicantur, quatenus auctoritas
 eorum divina tam testimonio Ecclesiæ, quam
 miraculis, quibus confirmati fuerunt, nec non
 prophetiis & ipsa Sanctitate & Sapientia vere Di-
 vina doctrinæ illorum nititur.

3. Tertium ejusdem Libri Caput Revelationis
 Divinæ usum genuinum & scopo revelantis Dei
 consentaneum docet, monens quo animo ad me-
 ditationem Scripturæ Sacræ accedendum, quo-
 modo in illa versandum, & ad quem finem omnia
 referenda, ut inde fructum desideratum capere
 queamus.

Lib. III.

Postquam binis prioribus hujus Compendii
 Theologici Libris lectores ad investigandam religio-
 nem Christianam, qua simul religio naturalis a
 corruptelis hominum prævaricatorum vindicanda,
 & modo tam misericordia quam justitia Dei dig-
 no captui usibusque peccatorum accommodanda
 erat, præparati fuerunt, Tertio deinde Libro ipsa
 Religionis Mysteria ex professo fusius exponuntur;
 quod ita fit, ut perpetuo nexu pars theologiæ
 theoretica cum practica, exemplo Christi & Apo-
 stolorum, jungatur. Omnia vero hujus tra-
 ctationis argumenta mysteriorum Evangelicorum
 nomine designantur, quoniam id maxime egit
 Auctor, ut de quovis eorum sedulo observet,
 quid Doctrina Evangelica præter naturaliter cog-
 nita & perspecta ex ordine Gratia superaddat, at-
 que a fidelibus Christi discipulis exigat, quo dup-
 lici

lici sensu veritates Evangelicæ revera mysteria fidei & pietatis dici merentur. Summa totius hujus Libri ad septem capita seu totidem Myſteria Evangelica reducitur.

1. Initium, Capite primo, facit Myſterium reſiſcentiæ Evangelicæ ſeu Chriſtianæ, a quo ipſe Dominus noſter prædicationem ſuam inchoandam cenſuit, & Apoſtoliſ ut eum in hac prædicandi & docendi methodo imitarentur præcepit, quoniam hoc tum reſpectu corrupti Judæorum Gentiliumque ſtatus maxime neceſſarium erat, & ſemper idem omnibus hominibus & propter labem originalem, & innata ſemina vitiorum inculcandum eſt. Sedulo igitur hic explicatur quid, juxta doctrinam Evangelicam, tam de origine & effectis peccati, quam de indole, incitamenti & effectibus reſiſcentiæ tenendum ſit.

2. Secundo hujus Libri tertii Capite agitur de Myſterio Fidei in genere conſiderato & ſpectato. Distinguitur autem fides hiſtorica a fide viva. Explicatur etiam quo ſenſu fides, quatenus peculiare ſalutiſ noſtræ medium eſt, differat a Lege proprie ad religionem naturalem pertinente. Inſeritur hoc loco notiſa hiſtorica Symboli Apoſtolici, & monſtratur quonam pacto ſumma illius capita obſectum fidei juſtificantiſ complectantur.

3. Tertium porro caput progreditur ad dilucidandum myſterium Fidei in Jeſum Chriſtum, præcipuum fidei juſtificantiſ obſectum. Ad cognitionem vero Chriſti in iſto Capite eodem ordine adducimur, quo ipſe ſe cum bono noſtro natus eſt, hominibus cognoscendum præbuit, ita ut

occasione natiuitatis , vitæ privatæ , & publicæ , ministerii , doctrinæ , miraculorum , mortis denique , resurrectionis , ascensionisque illius in cœlum referatur , quid in variis tam exinanitionis quam exaltationis ipsius statibus cum aliis hominibus commune , tum etiam quid in quouis statu peculiare habuerit , & quomodo in singulis vitæ suæ circumstantiis fideliter impleverit , quæ de Messia promisso , seu de Mediatore fœderis gratiæ vaticinati fuerant veteres Prophetæ. Hæc omnia ut recte intelligantur , subiicienda fuit huic Historiæ Domini Jesu Christi idea Evangelica officii mediatorii , ex qua sponte elucescit Christum ejus mensuram explere non potuisse , si nudus homo , vel mera creatura esset , cum tale illi munus impositum fuit , quod omnino dignitatem , virtutem & vires personæ vere Divinæ posceret cum natura Humana maximo gratiæ miraculo hypostatice conjunctæ , ut simul summus Hominum Deo reconciliandorum Propheta , Pontifex atque Rex esse posset.

4. Hinc demum Auctor sibi ascendendum putavit in capite quarto ad contemplandum , quatenus humanæ aciei concessum est , arduum Sanctissimæ Trinitatis Divinæ Mysterium , utpote quo solo idea Divinitatis Christi cum idea perfectissimæ Unitatis naturæ Divinæ conciliari potest. Hic igitur Scripturæ Sacræ testimoniis tam Filii quam Spiritus Sancti hypostases Patrique coæternæ & consubstantiales perfectiones Divinæ firmiter stabiliantur , & quæ de illis clare revelata sunt sollicite ab iis quæ hætenus nobis abscondita atque incomprehensibilia manent , distinguuntur. Imprimis genuinus atque sobrius eximii hujus Myste-

rii Evangelici usus, & cum reliquis fidei dogmatibus necessarius nexus, tandem quoque influxus ejusdem in-Vitæ Christianæ officia argumentatione quam simplicissima ostenditur.

5. Sequitur capite quinto Mysterium Charitatis Christianæ, quatenus eo integra Ethica Evangelica solida Dei triunius cognitione nixa absolvi-
tur. Et quum Christus ipse in præceptis generalibus, quibus Amor Dei & proximi nobis commendatur, tanquam in Decalogi Mosaici summa totam Legis & Prophetarum vel Legis naturalis & revelatæ animam vimque omnem ponat, non alia Vitæ Christianæ Norma quærenda videbatur, dummodo monerentur Discipuli Christi, quemadmodum hoc loco factum est, ut ipsam Legem Evangelice interpretari, atque officia erga Deum, erga proximum & erga nosmetipsos in Lege præcepta modo Christianis digno atque scopo doctrinæ Evangelicæ conveniente semper & ubique exercere discant. Hunc in finem adjuncta etiam est explicationi Decalogi uberior explanatio Orationis Dominicæ, qua Christus ceu verus Paracletus totius vitæ sanctæ normam in forma Precationis absolutissimæ nobis exposuit, ad quam vota & desideria nostra, adeoque etiam affectus & mores nostros componere, voluntatemque nostram voluntati Dei, gratia illius adjuti, subjicere docemur & assuescimus.

6. Sexto deinde capite Communionis Christianæ Mysterium explicatur, quippe Dogmata Evangelica tam theoretica quam practica merito non ceu systema aliquod Philosophicum, idque arbitrarium, spectamus, sed tanquam Institutionem Religionis,

gionis, quæ hominem religat Deo, & Deum homini; quare cognitione & professione fidei Christianæ non solum cum Deo ipso in Christo nobis revelato, sed etiam cum omnibus eandem fidem profitentibus sanctissimum aliquod fœdus contrahimus, & in unam eandemque sanctam atque Catholicam Ecclesiam Dei coalescimus, cujus notæ, jura, privilegia & officia hic fusius expenduntur; qua occasione simul tum de Sacramentis Ecclesiæ eorumque pio & salutari usu, tum de indole, de necessitate & utilitate Disciplinae Ecclesiasticæ, ad alendam sustinendamque Communionem sanctorum compositæ, quantum ad scopum hujus compendii Theologici sufficiebat, differitur.

7. Tandem Capite septimo, hujus Libri ultimo, dulcissimum mysterium Spei Christianæ commendatur; Dum itaque quatuor, ut aiunt, ultima hominis hic considerantur, mors, resurrectio a mortuis, extremumque judicium, pœnæ etiam & præmia vitæ æternæ, quid eorum respectu homini Christiano spei reliquum maneat ex fontibus Revelationis Evangelicæ deducitur. Obiter simul quid de statu animæ medio & de fine mundi piis conjecturis assequi queamus traditur.

Lib. IV.

Monstrata sic ad veritatem salutemque via regia, non admodum metuendum videbatur, ut qui semel eam strenue inierunt, inde ad devia vel dextrorsum vel sinistrorsum se abduci paterentur. Quum tamen inter homines vivitur, quorum nonnisi paucissimi Veræ Religionis tramitem fideliter sequuntur, dignum operæ pretium facturum
se

se credit Auctor, si lectoribus Libro quarto tum præcepta quædam generalia iudicium nostrum de Controversiis prudenter dirigere apta, tum præcipuarum Controversiarum Theologicarum notitiam & epicrisin generalem suppeditaret, ne iis facile offendiculo illæ essent.

1. Primo igitur hujus Libri Capite exponuntur rationes, quibus fides nostra adversus scandalum ex dissensionibus in causa Religionis metuendum munienda & obfirmanda est; indicantur dissensionum & controversiarum illarum origines, pravis affectibus animi potius quam obsectorum obscuritati & difficultati debitæ; porro attendere docemur ad rationes quæ permissionem tantarum dissensionum & contentionum theologicarum Dei Sapientia & bonitate dignam reddunt; &, ut hæc omnia rectius capiantur, ex principiis hæctenus positis canones eruuntur, ad quos examen tam Controversiarum ipsarum sæpe absque ratione idonea multiplicatarum, quam momenti earum, ut & officiorum veri Christiani adversus dissidentes exigitur.

2. Descenditur capite secundo ad discussionem generalem historico - criticam Controversiarum, quæ Christianis intercedunt cum infidelibus, sive apertis mysteriorum Evangelicorum hostibus Deistis nimirum, Mahometanis & Socinianis atque Socinianizantibus. De Judæis quidem hoc loco non seorsim agitur, quoniam eorum error & defectio a prisca patrum fide jam satis detegitur & notatur tum in capite primo Libri secundi, tum in primo etiam capite Libri tertii. In recensendis vero reliquorum infidelium Sophismatibus ita

versatur Auctor , ut paucis clare & dilucide ostendat ubi vel ex veris principiis falsas neccant consequentias , vel ex falsis principiis speciose argumentari soleant.

3. Capite tertio Controversiæ cum Pontificiis ad examen æquum & placidum ita revocantur , ut ante omnia Ecclesia Catholica a Regno Papali , & doctrina Catholica a Canonibus Concilii Tridentini seu sedis Romanæ caute distinguatur , & quibus in capitibus doctrinæ , cultus & disciplinæ , ipsa Ecclesia Romana veteris Ecclesiæ Catholicæ vestigiis inhæreat , in quibus aliis autem illa deserat , historice doceatur , atque adeo Doctorum Catholicorum auctoritate & testimonio demonstratur , quibus temporibus , quibus artibus & modis varii abusus , sæpissime minime malo auctorum animo , in doctrinam cultumque Ecclesiæ Catholicæ irreperint. Postea etiam impedimenta & nævi Reformationis in Concilio Tridentino quæsitæ , tentatæ & susceptæ , ex historiæ monumentis purissimis aperiuntur , & nullitates , quas vocant , atque vitia anathematum , quibus Patres Tridentini Ecclesias Protestantes sive Christianas ad iudicium Concilii universalis liberi provocantes , ferire ausi sunt , in apricum deducuntur.

4. Postremum in capite quarto locum occupat Schisma Protestantium. Laudatur autem hic statim Protestantium seu Reformationum genuinis Reformationis principiis firmiter insistentium amicus circa summa Religionis Christianæ capita consensus. Deinde narratur quomodo varia hominum culpa & incauto potissimum quorundam Doctorum Zelo acciderit , ut dissensus particularis Theologorum

logorum circa methodum doctrinalem extremo fe-
 re Sæculo XVI. infaustis Consiliis Jacobi Andrææ
 & Wittenbergensium ei adhærentium in Schisma-
 tis scandalum degenerarit, coarctata nimium,
 per Formulam Concordiæ antiphraſtice ſic dictam,
 ſentiendi libertate Theologis Chriſtianiſ digna. To-
 ti huic tractationi ſiſis ita imponitur, ut lectori-
 bus commendentur conſilia ad diminuendum hu-
 jus Schiſmatis ſcandalum, ut & ad reuniendos
 animos fidelium, atque conjungendam ſuaviſſimo
 nexu cum veritate pacem, charitatem & pieta-
 tem conducibilia.

T A N T U M.

